

Sed ut vera fide solum eum recipiamus: & quilibet nostrum certissimus sit, eum suum esse Salvatorem merito & efficacia; ideoq; ut verum Deum in Spiritu & veritate adoret, colat, & celebret.

Summa. huic soli vitæ æternæ verba habenti quilibet Christigena sit addictissimus: Exemplo Apostolorum Joh. 6, 68. 1. Cor. 2, 2.

Gal. 6, 14. Phil. 1, 21.

2. Vitam deinceps nobis & nostra vocatione dignam vere-Christianam vivamus.

Populum enim *suum* inquit Angelus, salvabit. Luc. 1.

Audiamus igitur D. Petrum. 1. Epist. 2, 9. & seq.

Hujus virtutes non frustra prædicaverimus, sed *εὐαγγελίας* promissionem obtinuerimus in vita fut.

1. Tim. 4, 8.

DOMINICA XIII.

Ex Quæst. 31. & seq.

CHRISTUS UNCTUS OMNES

Christianos efficacissimè ungit.

TEXTUS Heb. 1, 7. & seqq. & 1. Joh. 2. 27. & seqq.

Vers. 7. De Angelis quidem dicit, Qui Angelos suos facit ventos & ministros suos, ignis flammam.